

§. 15. neque eundem esse Syllogismum conjunctum, aut in specie conditionalem; sed eum demum, qui non quidem principalem quæstionem, sed aliam, ad quam principalis sequitur, infert, ita ut hâc probatâ, altera principalis hâc ipsô quoque probata censeatur. τῶν δ' ἐξ ὑποθέσεως μέρος ἐστὶ τὸ διὰ τῆ ἀδυνατίᾳ. Eorum autem Syllogismorum, qui fiunt ex hypothesis, pars est, qui fit per impossibile; inquit Aristoteles I. Prior. XXXIII. §. 2. sive ut Antonius Scaynus παραφράζει: Ad Syllogismum ἐξ ὑποθέσεως concludentem refertur etiam is, qui dicitur ad impossibile. Huic adjungit Philosophus Syllogismum κατὰ μείληψιν, sive πρὸς τὸ μέγα λαμβανόμενον concludentem, idq; οὐδὲ fine probantem, ut τὸ ἐξ ἀρχῆς hâc ipsô probetur. Hoc ipsum verò παραινεται δι' ὁμολογίας, ἢ τινὸς ἄλλης ὑποθέσεως probatur vel per confessionem, vel per aliam quandam hypothesis. Syllogismi hujus κατὰ μείληψιν concludentis Aristoteles mentionem quoque facit I. Prior. XXIX. §. 6. ubi adhuc aliam speciem Syllogismorum ἐξ ὑποθέσεως concludentium addit, Syllogismum nempe κατὰ ποιότητα, ac §. 7. subjungit: Considerare oportet ac divisione explicare, quomodo sese habeant Syllogismi ex hypothesis.

XXII. Quod attinet Syllogismum διὰ τῆ ἀδυνατίᾳ, cum eo res ita est comparata: Si quis thesin aliquam, quæ in quæstionem venit, vel etiam aliquam earum propositionum, quas in Syllogismo adhibuimus, admittere recuset, vel etiam conclusionis Syllogismô illatæ veritatem in dubium vocet, is eò est adducendus, ut thesios, vel etiam propositionis, quin & conclusionis, quam negat, cujusque veritatem agnoscere detrectat, contradictoriam admittat. Hæc contradictoria thesis assumitur & cum ea conjungitur alia propositio vel evidens & ex se manifesta, vel etiam ab adversario concessa, atque ex his propositionibus secundum